



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione  
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Expenditur reseruatio clausa in corpore iuris, quæ est de beneficiis  
vacantibus apud sedem. punct. 16

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

continetur; quia hæc omnia ius commune constituunt, & ad corpus iuris dicantur pertinere. E contra vero extra corpus iuris habentur, quæ in alijs constitutionibus extraneis, decretis, & regalis Cancellariæ continentur, sicut probabilis deditur Azor. dicta q. 4. Garc. s. p. de benefic. cap. 1. n. 130.

3 Quod si iniquas quot sint reservationes in corpore iuris contentæ, an plures, an vna tantum? Nicolaus Miles in verbo reservatio. §. 2. ad finem. & Aneas de Falconibus ii. de reservat. q. 2. principali. n. 2. Affirmant plures esse reservationes. Prima: quæ habetur in extraneis, ex debito de elect. & in extraneis, ad regimen de prebendis & dignitatibus inter communes. Secunda, quæ habetur in extraneis, execrabilis de prebendis. Tertia, de beneficiis deuolutis ob negligentiam ordinariorum collatorum, Quarta, de beneficio litigatoris, iuxta text. in cap. 1. & 2. v. lite pendente. Quinta, de beneficiis exemptis, & Papæ subiectis, iuxta text. in cap. mutationes. 7. q. 1. cap. licet. cap. inter corporalia de translat. episcopi, & clement. in plerisque de elect. Sexta, de beneficiis acceptis, iuxta extraneis, ad Roman. §. Romani de prebendis inter comm. vbi tanti valoris, & efficacitæ est manus Pontificis appositio, vt cõto effectum non fortiat ob incapacitatem prouisi, adhuc non possit ordinari in illius beneficii prouisione se intrinmiscere, sed ad Pontificem pertinet.

Verum probabilis est solam vnicam esse reservationem in corpore iuris clausam, quæ habetur cap. 2. & c. p. p. p. de prebendis in 6. tradit Glossator in reg. Cancell. v. 35. v. e. s. item quaritur, & reg. 62. ad finem. Azor. 2. p. i. s. i. moral. lib. 6. c. 34. q. 4. Garc. de benefic. s. p. cap. 1. n. 142. Nam reservationes, quæ habentur in extraneis, reputantur extra corpus iuris. Adde reservationem in extraneis, ex debito, & ad regimen, temporariam fuisse pro vita Pontificis statutis. Reservatio contenta in extraneis, execrabilis, non est nuda reservatio, sed beneficii priuatio, & illius reservatio ob delictum. E. idem est de beneficiis deuolutis, quæ non tam iure reservationis, quam deuolutionis prouidentur. Beneficia vero litigiosa propriè reservata non sunt, cum finita lite ea possint ordinari prouideri, sed durante lite suspenditur illorum prouisio, item beneficia exempta, & Papæ subiecta non iure reservationis, sed iure ordinario Pontifici competunt, sicut illi competunt beneficia in Romana vrbe consistentia, & etiam tanquam pastori vniuersali excitationes, vniõnes, translationes ecclesiarum cathedralium, & similia. Quæ quia ab alijs à Pontifice prouideri non possunt, non est opus reservatione: hæc enim solum est ad excludendam aliorum prouisionem anticipatam, vt bene dicit Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 8.

4 Tandem beneficia affecta, propriè reservata non sunt. Im quia reservatio verbis, non factis fit. E contra affectio factis constituitur, scilicet prouisione Pontificis, vel mandato de prouidendo; sic Gonzalez ad reg. mensium gloss. 52. num. 4. Tum quia reservatio est perpetua; quia in perpetuum admittit ordinari potestatem beneficia reservata conferendi, at affectio solum pro tempore limitata, scilicet pro prouisione illa subsequenti: nam si illa prouisio ad cuius finem Pontifex manum apposuit, effectum sortita est, cessat affectio, & reservatio beneficii, vt alijs relatis docet Gonzalez supra. Azor. 1. p. i. s. i. moral. lib. 6. cap. 34. quasi. 5. Sed aduerte huiusmodi affectioem, seu diminutam reservationem solummodo contingere, cum Pontifex manum apponit in beneficiis conferendis ad effectum, vt illa conferat. Sic Garcia s. p. de benefic. cap. 1. num. 150. Gonzalez gloss. 52. n. 38. Quapropter si manum Pontifex apponit, non præcisè ad effectum conferendi beneficia, sed ob aliam causam, scilicet vt resignatio in fauorem, vel cum pensionis effectum habeat; non obinde beneficium manet affectum, seu Pontifici reservatum, si alijs reservatum non sit. Sic Garcia & Gonzalez supra. Minusque manet affectum beneficium, si illud procurat Pontifex prouideri ex falsa relatione sibi facta, quod beneficium illud sit ei reservatum, cum tamen non sit; vel sit liberum, cum tamen sit de iure patronatus laicalis; vel sit seculare, cum tamen sit regulare; vel sit perpetuum, cum tamen sit manuale. Hæc enim omnia faciunt, vt Pontificia manus appositio non fuerit ad effectum illud conferendi, cum nunquam tale beneficium conferre intendit. Sic Gonzalez à n. 48. & seqq. vbi optime hanc materiam de beneficii affectio pertinet.

5 Sed inquires; an reservatio censenda sit odiosa, an fauorabilis? quam quætionem largissimè pertactat Gonzalez §. 6. proam. de mensibus, & alternatiuis, per totum, & concludit reservationem pro singularibus personis, vel de singulari beneficio factam odiosam esse, At reservationem, quæ fit per modum legis, quæque reducit res ad suum primæuum statum, & institutionem, & inducta est ad vitandas fraudes, & in fauorem clericorum pauperum, & personarum bene meritarum esse fauorabilem, & ampliandam: talis autem est reservatio clausa in corpore iuris, & contenta in regulis Cancellariæ; siquidem fertur per modum legis, vt de se constat, & reducit prouisionem beneficiorum ad suam primæuam naturam, quæ est, vt Pontifex solus illam habeat, & ex eius concessione omnes prælati inferiores, iuxta sextum in cap. de cetero, ibi, quia vires

suas, & cap. qui se fecit, in prin. 2. q. 6. & ex alia parte fit ad vitandas fraudes, quæ in promotione ordinariorum solent facilius contingere, scem quæ expeditur in fauorem pauperum clericorum, & periculum bene meritarum, quibus Pontifex beneficia referuata conferre intendit. Ergo absolute est consuetudo fauorabilis.

Cæterum mihi probabilis apparet omnem reservationem tam in corpore iuris clausam, quam extra esse odiosam, & restringendam. Sic Glossa in cap. presentis verbo finitur, de officio legati in 6. Nau. cap. accepta de resit. spoliar. folio. 10. num. 42. & alij plures, quos refert, & sequitur Garcia s. p. de benefic. c. 1. n. 67. & adducit Gonzalez ad reg. mensium. d. §. 6. proam. num. 6. Ratio præcipua est, quia concessio facta ordinariis de beneficiis suæ diocesis conferendis est fauorabilis, & amplianda. Tum quia est potestas à principe data non culibet perforce particulari, sed omnibus ratione officij, & muneris quod exerceant. Ergo derogatio huius debita potestatis, & quasi naturalis odiosa censeri debet. Et confirmo. Si reservatio fauorabilis esset alternatiua episcopis concessa in fauorem ecclesiasticum, odiosa esset, quia destruit reservationem. At ipsemet Gonzalez supra §. 6. proam. num. 42. negat alternatiuam censendam esse odiosam, sed potius affirmat esse fauorabilem. Ergo reservatio illi contraria odiosa est, & restringenda. Item ipsemet Gonzalez §. 5. proam. num. 1. 9. affirmat constitutionem. cap. si apostolica. 35. de prebendis. in 6. fauorabilem esse, quia inquit reservatioem. cap. licet, eodem tit. & lib. Ergo contra quamlibet reservationem absolute esse odiosam. Neque obstant contraria superius adducta. Fateor reservationem non esse pro aliqua singulari persona, & singulari beneficio, sed pro pluribus personis, & pro pluribus beneficiis. Sed hoc non tollit, quominus odiosa sit, cum deroget potestati ordinariæ. Minus obstat, quod sit per modum legis, nam etiam lex odiosa esse potest, si ius alteri quantum ad minus, vt contingit in reservatione, quæ ius, & potestatem ordinario ratione sui officij competentem dimittit. Neque viget latam esse reservationem ad vitandas fraudes, personarumque pauperes, & bene meritas prouidendas; quia legis rigor, vel fauor non desumitur ex fine legislatoris, cum is temper debeat esse vtilis reipublicæ; & conueniens, sed ex fine intrinseco ipsius legis: seu, vt clarius dicam, ex materia ipsius legis, quæ fit in obligatis illam feruere odiosam, & rigorem continere, absolute odiosa est, & non fauorabilis.

PUNCTVM XVI.

Expenditur reservatio clausa in corpore iuris, quæ est de beneficiis vacantibus apud sedem.

- 1 Adducuntur textus, in quibus hæc reservatio continetur.
- 2 Quia nomine sedis Apostolicæ, curia romana, & curia collegiatarum.
- 3 An Pontifex se recreationis causa alio conferente, non translatâ curia, beneficiarius si ipse non moratur, vacet eius beneficium apud Sedem, & prouidetur ab alio de ratio.
- 4 Resoluitur quid sentiantur sit.
- 5 An cap. statutum, reuocatum sit per extraneis, p. sollicitudinis, de prebendis. Resoluitur, vt probabilis esse reuocatum.
- 6 Quæ beneficia vacantia apud Sedem comprehendantur in cap. licet.

1 Hæc reservatio statuitur. in cap. licet, de prebendis in 6. à Clement. V. in hæc verba. Nos antiquam, & laudabilem consuetudinem approbantes, statimus dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud sedem Apostolicam deinceps vacare contigerint, aliquis præter Romanum Pontificem, cuiuscumque super hoc sit autoritate munitus, sine iure ordinaria potestatis ipsarum dicitio, prouisio, seu collatio ad eum pertinet, sine litteris super aliquorum prouisionem generalibus, vel etiam specialibus, sub quacumque verborum forma receperit, nisi ei sit super conferendis eisdem in curia Romana vacantibus specialis, & expressa ab ipso Pontifice summa autoritate attributa, conferre alicui, seu aliquibus non presumat. Nos enim si secus actum fuerit decernimus irritum, & inane Supradictum decretum Bonifac. VIII. in c. presentis. 3. a. eodem tit. & lib. de clatauit in hæc verba. Presenti declaramus editio statutum felicis recordationis Clementis. Pape prædecessoris nostri de beneficiis apud sedem Apostolicam vacantibus per aliam quam per Romanum Pontificem minime conferendis, locum habere in beneficiis, quæ Legati, aut Nuntij Sedis eiusdem vel quibus alij ad Romanam curiam venientes, vel etiam vacantes ab ipsa obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi curia mori contigerint, quemadmodum si in loco, vbi eadem curia residet, morerentur. Idem est si aliquis curialis eorundem ecclesiarum Romana vacare peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quavis causa ad locum curia vicinij secedens in huiusmodi loco vicino decedat dum ibi etiam si erat ad ipsam curiam reuertitur, eius domicilium, seu

domus propria non existat. Loca vero intelligantur vicina eidem curia in praesenti: quia remota ultra duas distas legales, quas hoc casu sic specialiter volumus capitari a loco ubi moratur ipsa curia, non existunt. Sane si quis in loco, ubi degit curia sua originis domum habens, diem claudat extremum in ea, ipsius beneficia sub praedicto non aliter includantur statuto, quam si curialis esset antea, & ibidem occasione curia moraretur. Porro cum curia de loco ad locum transferri contingit, si curialis intinere dum curiam sequuntur eandem, vel in loco, ubi recedit ipsa curia forsita remaneat: inferni rebus inibi eximantur humana, praesens statum quantumcumque locus ubi decessit ab ipsa curia sit remotus, ad illorum beneficia se extendit. Porro Gregor. X. in c. statutum, de praebendis, in 6. supradictum decretum temperavit, ut supradicta reservatio locum haberet intra mensem a die vacationis apud sedem computandum; nam illo mense transacto, si Pontifex non prouiderit, poterat ad quos de iure prouisio pertinet prouideri. Deinde supradictum decretum Clement. temperavit Bonifac. 8. in cap. si apostolica sede vacante, vt non comprehendat ecclesias parochiales vacantes apud sedem, si ibidem vacauerint tempore quo sedes ipsa Apostolica vacat; tunc enim ne periculum affecerit animarum diuina vacatio, poterunt per eos, ad quos de iure prouisio pertinet, prouideri. Et idem est de illis, qui ibidem ipso Romano Pontifice viuente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum.

Pro explicacione supradictae reservationis praemittendum est, quid nomine sedis Apostolicae, curiae Romae, & curialis intelligatur: vt inde cognosci possit quae beneficia apud sedem vacent, quae apud curiam, & quae sint curialium, ac tandem quae sint reservata in suprad. cap. licet. Sedes inquam Apostolica est, ubi Pontifex sedet, & assistit Ecclesiam gubernatur: curia vero Romana videtur esse idem ac sedes Apostolica, vt bene explicat Gonzalez. gloss. 5. §. 1. a. num. 1. & seqq. Sed non inde fit idem esse vacare beneficium apud sedem Apostolicam, aut vacare in curia. Nam beneficium apud sedem Apostolicam, vacare tantum dicitur, iuxta textum in cap. praesenti, de praebendis, in 6. quod vacat in Romana curia, vel in locis illi vicinis per duas distas legales, hoc est, vt explicat ibi glossa, per 20. leucas, nam data legalis continet 20. millaria, iuxta leg. vicena milit. ff. si quis cautionib. per mortem possidentis illud. Haec enim sola vacatio est, quae reservatur in cap. praesenti, de praebendis, in 6. vt constat ex ipso textu, qui solum de vacante per mortem loquitur. Quapropter fit beneficium non per mortem beneficiarii, sed per illius resignationem, permutationem, priuationem, aut alium similem modum vacet, non vacat apud sedem ex vacatione supradicti textus, esto in curia vacante censetur alio modo. Beneficia enim vacantia apud sedem in curia vacant, sed non e contra, quae vacant in curia, vacant apud sedem, cum sine plura vacantia in curia, quae apud sedem non censentur vacare, vt in beneficiis permutatis, resignatis, & priuatione affectis videri potest, & bene explicat Ludouic. Gomez. reg. de triennali. qual. 3. post. principium. num. 2. & 3. & 5. Puteus dec. 36. num. 1. & per totum lib. 2. Couarru. lib. 1. q. 36. num. 4. vbi. caeterum, Gonzalez de mensib. & alternatiuis. gloss. 1. §. 1. a. num. 49. Nomine curialium intelliguntur famulae, clericus, notarii, Pontifici, & Cardinalibus, iudices, notarii, aduocati, procuratores, & sollicitatores causarum Romanae curiae. Sic Mandos. reg. 1. cancell. q. 1. n. 18. & q. 3. num. 5. in fine. Gonzalez de mensib. & alternatiuis. gloss. 1. §. 1. in fine. Hoc posito.

3. Dubium est, si Pontifex non translata curia Romana alio se transferat recreationis, vel alienius negotij causa, vt saepe contingit, cum Neapolin, Siciliam, vel Ferrarium pergat, quo in loco decessit, debeat beneficiarius, vt censetur beneficium apud sedem vacare, in inquam ubi est literatum Apostolicum, & aliter consularum audientia, & expeditio, an ubi Pontifex residet, in vtroque? Ratio dubitandi est; quia ubi Pontifex non est, sedes Apostolica non esse potest, vt multis allegatis praesent. Gonzalez gloss. 1. §. 1. a. n. 1. & Mandos. reg. 5. cancell. q. 1. n. 1. Rebuff. in concordant. tit. de forma mandati, verbo extra Romanam curiam, vbi. & aduertit quod ibi est curia. Ergo si beneficiarius moratur Romae, ubi tunc non adest Pontifex, sed solum eius audientia & causarum expeditio, tale beneficium non vacat apud sedem Apostolicam, sed solum apud curiam. Ex alia etiam parte non videtur vacare apud sedem Apostolicam ex eo quod vacet in loco, ubi Pontifex non permanet, sed transiit existit. Tunc quia ibi non sedet gubernatus. Cum quia ibi non est eius curia, Ergo neque etiam censendum est ibi sedem existere. Alias quocumque Pontifex recreationis causa alio se transferat, dicitur sedem Pontificiam transiitisse, quod est contra expressam textum in clement. de Romanis. §. sane, de electione.

4. In haec dicendum est si solum spectemus textum in cap. licet, & cap. praesenti, solum beneficium vacans Romae, ubi Cancellaria existit, & Pontifex domicilium habet, reservatum esse, ac non esse reservatum ex eo quod vacat in loco, ubi Pontifex transiit existit. Probo. Nam ubi Cancellaria existit, & Pontifex domicilium habet, ibi adest sedes Apostolica, quia ibi Pontifex censetur adeste. Absentia enim breuis non impedit praesentiam permanentem. At ubi Pontifex transiit

adest absque Cancellaria, & audientia, eius curia sedesque Pontificia non existit, sicut neque curia regia existit, nisi ubi adest consiliarius Regis vt bene aliis relatis docet Couarru. praesent. q. cap. 4. num. 10. Gregor. Lop. leg. 27. verbo corte. tit. 9. par. 2. Ioann. Garcia de expens. cap. 12. num. 25. Ergo beneficium vacans ubi non est sedes Pontificia, esto Pontifex personaliter adest, non vacat apud sedem Apostolicam, esto vacet apud Pontificem. Ergo non est reservatum ex text. in cap. licet, & cap. praesenti, de praebendis, in 6. Verum est hoc beneficium reservatum non sit spectatis supradictis textibus, at posita constitutione Pauli III. quae est in ordine illius Pontificis 16. & consistit. Clement. VIII. 54. quae est in bullario nouo t. 3. fol. 70. negari non potest beneficium vacans, ubi Pontifex etiam transiit existit, reputari vacans, apud sedem, & eodem modo, ac si Pontifex Romae existet, esse reservatum, quia vna, & eadem curia Romana reputatur in Vrbe, & ubi est Papa, vt notauit Garcia. 5. p. de benef. cap. 1. n. 395. & 396. Barbola 3. p. de potest. episc. alleg. 5. num. 128.

5. Secundo dubitabis, an cap. statutum temperans praedictam cap. licet, reuocatum sit per extrauag. pia sollicitudinis 1. de praebendis. inter communes? Et videtur reuocatum non esse; quia correctio iuris vitanda est quoad si fieri possit in praesenti vitari potest correctio, quin textibus violentia inferatur. Nam textus in cap. pia sollicitudinis, reuocatur omnia beneficia cum cura, & sine cura apud sedem vacantia intra vnum mensem a data praesentium; qui textus optime concordari potest cum cap. statutum 3. de praebendis, in 6. dicens hoc esse intelligendum, dummodo Pontifex beneficia prouideat intra mensem a die vacationis, secus si prouisionem omiserit, nam per hanc omissionem sublata 6. dicitur reservatio. Praeterea supradicta extrauag. pia sollicitudinis, non est reuocatum textus in cap. si Apostolica, de praebendis, in 6. vt multis relatis docet Gonzalez de mensib. & alternatiuis. §. 5. proem. a. num. 128. Esto in suprad. extrauag. generaliter reuocatur omnia beneficia cum cura, & sine cura, quae in posterum vacauerint, quia hoc intelligendum est, dummodo non vacent tempore sedis vacantis, Ergo etiam similiter intelligi potest supradicta extrauagans; reservata inquam esse beneficia per mensem a die vacationis, secus illo transacto, si Pontifex non prouiderit. Item si dictum, cap. statutum, esset reuocatum per extrauag. pia sollicitudinis, vt quid implemet Bonifac. qui author fuit supradictae extrauag. & compilator libri 6. decretalium. hunc textum in illo lib. inseruit: Et ita non esse huiusmodi textum reuocatum inclinatur Aeneas de Falconibus de reseruat. q. 4. princ. effectus 6. n. 2. & tradere videtur Barbola 3. allegat. 57. num. p. 24.

Nihilominus verius mihi videtur reuocatum esse. Sic Gonzalez de mensib. & alternatiuis §. 5. proem. a. num. 128. Garcia 5. p. de benef. c. 1. num. 198. Mouet: quia consuetudine, & stylo curiae sic firmatum est, vt beneficia vacantia in curia etiam post lapsum mensis, non permittantur ab ordinariis prouideri. Ergo signum est concessionem dicti cap. statutum, cessasse. Alias ordinarij cum in suo iure consueto vigilantiissimi existant, non cessarent ab huiusmodi beneficiorum vacantium prouisione. Neque obstat extrauag. pia sollicitudinis compati posse cum cessione cap. statutum. Nam hoc verum est, nisi aliud stylus, & consuetudo declarasset, quod non declarauit de concessione facta in cap. si Apostolica, addeisset caput statutum, reuocatum non esset dicta extrauag. pia sollicitudinis. At negari potest reuocatum esse per extrauag. ad regimen de praebendis. inter communes quae per reg. 1. Cancell. vt dicemus §. sequenti quotidie renouatur, sic. Garc. 5. p. de benef. cap. 1. num. 100.

6. Tertio dubitabis, quae beneficia vacantia apud sedem comprehendantur in reservatione dicti cap. licet. Respondeo omnia beneficia quae vacant apud sedem seu in curia per mortem beneficiarii, aliquibus tamen exceptis. Excipiuntur namque primo beneficia iuris patronatus laicalis; quia his numquam censetur derogatum, nisi verbis expressis derogatio fiat: sic Glossa in cap. licet, de praebendis, in 6. vbi Geminian. n. 12. Decius cons. 249. n. 6. Gonzalez gloss. 18. n. 2. & seqq. Garcia 5. p. de benef. cap. 1. a. n. 561. Barbola alleg. 57. n. 26. Sed an intelligantur haec de patronatu competente ex privilegio, consuetudine, aut praescriptione. Item de patronatu mixto laicorum, & clericorum, ac tandem de patronatu ecclesiasticis, satis supra dictum est, eum de patronatu sermonem fecimus. Secundo excipiuntur beneficia regularia; quia in suprad. textu non exprimuntur, & sub nomine beneficii in adiosis non censentur comprehensa, nisi expressa sint. Gonzalez gloss. 8. num. 11. Barbola alleg. 57. num. 29. Tertio excipiuntur beneficia parochialia, si vacent sede Pontificia vacante. Et idem est, si viuo Pontifice vacauerint, neque Pontifex illorum fecerit prouisionem, ex textu expresso in cap. si Apostolica, de praebendis, in 6. nullis extrauagantibus reuocato Gonzalez ad reg. cancell. §. c. proem. n. 125. & gloss. 24. n. 11. & 117. Barbola 3. p. de potest. p. sc. alleg. 57. n. 30. Garcia 5. p. de benef. c. n. 108. Nam licet in extrauag. ad Romanos, quae est vlt. de praebendis. inter communes, dicatur beneficia semel affecta, & Pontifici reservata semper reservata manere, limitandum est, vt non intelligatur de beneficiis parochialibus quae viuo Pontifice prouisa non fuerit. Lex enim generaliter loquitur.

loquens restringi debet per specialem, præcipue cum specialis malum favorabilis sit, Quod non solum verum habet in beneficiis vacantibus in curia, sed etiam si vacent extra curiam in mente Apostolico, aut quocunque alio modo referuati sint. Quia est eadem, imo efficacior ratio. Referuatio namque ob vacationem in curia est omnium efficacior, vt pote perpetua, & in corpore iuris clausa. Si ergo in favorem ecclesiatum tollitur hæc referuatio, Sede Pontificia vacante, & qualibet alia referuatio tolli debet. Gonzalez de mensibus, & alternat. §. 5. proem. à n. 13. Garcia de benef. §. p. cap. 2. num. 104. Non tamen habet locum concessio dicti cap. si apostolica, in beneficiis deuolutis. Tum quia hæc referuatio non sunt. Tum & præcipue quia deuolutio fit ob culpam inferiorum. Non igitur erat æquum, vt ad illos iterum prouisio rediret, & ita notauit Gonzalez supra num. 143. Garcia num. 105. Quatto excipiuntur à referuatione dicti cap. licet; beneficia illorum, qui originem, seu domicilium, imo domum conductam ibi habent, quorum beneficia, nisi curiales, seu cortesani sint, non manent Pontifici referuata. Aliàs, vt benedicte Glossa cap. presenti de prabendis, in 6. verbo moraretur, non leue præiudicium Romanæ curiæ prouenerit, si omnium ibi degentium beneficia solus Papa prouidere possit, cessaret enim contentus curiæ, sic expressè Simoneta de referuatio. q. 30. num. 3. Fatinae, id decisioib. nouissimis. decis. 6. 16. Garcia §. p. de benef. cap. 1. num. 83. August. Barbosa 3. p. de potest. episc. alleg. 57. num. 31. & habetur expressè suprad. cap. presenti. ibi. Sane si quis in loco ubi degit curia, sua originis domum habens aitem claudat extremam, in ea ipsius beneficia sub prædicto non aliter includantur statuto, quam si curialis esset antea, & ibidem occasione curia moraretur, & vide Glossam ibi. Quinto excipiuntur à supradicta referuatione cap. licet, beneficia Vrbis. Quia horum prouisio non iure referuationis, sed iure ordinatio Pontifici competit: referuans namque impedit, seu priuat, ne alius beneficium sic referuatum prouideat. Si ergo nullus alius à Pontifice prouidere beneficia Vrbis potest, quid referuati Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 13. à n. 14. August. Barbosa 3. p. de potest. episc. alleg. 57. n. 32.

P V N C T V M XVII.

Explicatur prima referuatio contenta in prima regula Cancellariæ.

- 1 Quid sonent regula Cancellariæ.
- 2 Adducitur prima regula iuxta nouissimum tenorem.
- 3 Qua in hac regula referuntur, latè explicatur.

1 Sciendum quemlibet Pontificem initio sui Pontificatus regula Cancellariæ publicare iuxta styllum suorum prædecessorum aliquid addendo, vel mutando, prout negotiorum cursus expostulat. Hæc regulæ sunt quadam quasi generales leges de beneficiis disponentes, ad quatum valorem nulla alia solemnè publicatione indigent, quam quod sunt publicè constituta, ita vt à puncto constitutionis earum effectum habeant quoad nullitatem prouisionis in contrarium, esto non habeant effectum, quoad poenas ibidem positas. Quapropter prouisio beneficiorum in contrarium facta, esto bona fide facta fuerit, nullus erit vtilitas. ob decretum irritans in illis regulis contentum, & quia Pontifex disponit de re propria sibiq. competenti. Sic Gonzalez de regul. mens. §. 5. proem. à num. 53. August. Barbosa 3. p. de potest. episc. alleg. 57. n. 62.

2 Prima regula Cancellariæ à Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. constituta renouat omnes referuaciones contentas in extrauag. Benedicte XII. quæ incipit Ad regimen. de prabendis inter communes. cuius referuaciones temporariæ erant pro vita Pontificis, vt constat ex illis verbis; donec misericordis diuina clementia nos vniuersali ecclesiæ præsidere concesserit. Ac per has regulas Cancellariæ continuo renouatas sunt illæ referuaciones perpetuæ. Insuperque in supradicta prima regula additur, vt referuatio procedat quoad beneficia officialium Sedis Apostolicæ, esto tempore obitus officialis esse desierint. Et esto beneficia non fuerint tempore officij assecuti, sed post dimissum officium, & quandocunque ea assecuti fuerint. Nam esto quoad participationem, & numerum ad episcopatum officiales Pontificis. v. g. Notarij, seu Protonotarij, postquam officia dimiserunt: at quoad referuacionem tales reputantur, vt benè comprobatur Garcia §. p. de benef. cap. 1. à num. 200. & seqq. Præterea referuat beneficia, quæ iuxta constitutionem Ioannis XXII. quæ incipit Execrabilis, vacant, vel vacare contigerit. Ac tandem referuat beneficia omnia, de quibus ordinarij, ac alij collatores contra Concilij Trident. decreta disposuerunt & disponunt in futurum.

3 Pro explicatione huius regulæ aduerte, referuati primo omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales ecclesiæ, & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non canonicatus, & præbendas, ecclesiæ, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & regularia quæcumque, & qualicumque fuerint, etiam si, ad illa personæ consueuerint, seu debuerint per electionem

seu quemuis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia, & in possessionem vacatura.

Sed hæc referuatio eadem est cum referuacione facta in cap. licet. de prabendis in 6. ac proinde explicatione non indiget, sicut neque etiam illa referuatio beneficiorum, quæ de canonicis loquitur intra duas dioceses à curia deeeduntibus.

Secundo referuatur beneficia vacantia, aut vacatura per depositionem, aut priuationem, seu translationem, aut manens consecrationis suspensionem factas, vel faciendas auctoritate Apostolica. Gonzalez gloss. 51. num. 32. August. Barbosa 3. p. de potest. episc. alleg. 57. num. 65. Hæc tamen priuatio, depositio, seu suspensio sententiam saltem declaratoriam criminis regularitatis vacatæ beneficia non censentur, ita vt prouideri possint; vt latius diximus, cum de penis hæreticorum loqueremur.

Tertio referuatur beneficia illorum, qui in consortia vel discordia electi, vel postulati fuerint, quorumque electio calata fuit vel postulatione repulsa, vt habetur in suprad. extrauag. ad regimen. §. necnon. & in extrauag. ex debito. de elect. inter communes. §. huiusmodi, & notauit Gonzalez supra n. 14.

Quarto referuatur beneficia quæcumque vacatura per obitum Sæctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & officialium sedis Apostolicæ, videlicet Camerarij Vicecancellarij Notariorum, Auditorum, litterarum contradictorum, & apostolici palatii sacrum Auditorem, Contrictorum. & Scriptorum litterarum apostolicarum, ac Penitentiarij præfatæ sedis, & Abbrucatorum, necnon commensalium, & aliorum, quorumlibet Capellanorum, seu eiusdem, & etiam quorumcumque. Legatorum, siue Nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, & Thesauriariorum per dictum Ioannem prædecessorem, vel nos specialiter deputatorum, seu missorum hæctenus, vel à nobis deputatorum, aut mittendorum in posterum nunc vacantia, & in antea vacatura, vbiuntque dictos Legatos, vel Nuntios, seu Rectores, aut Thesaurios, antequam ad Romanam curiam redierint, seu venerint; iusibus autem contingat ab humanis. Nec non quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia, vltra duas dioceses legales non distantibus iam forsitan obierint, vel eos in antea transire contigerit de hac luce. Sic habetur in suprad. extrauag. ad regimen. §. ac etiam. Sub nomine officialium etiam Acolythi, & Cantores Papæ sunt comprehensii, & iudicat Gonzalez, gloss. 51. numero 13. & 14. & seqq.

Quinto referuat beneficia quæcumque siue regularia siue secularia cum cura, vel sine cura, quocunque modo etiam per electionem concessa, vacantia per promotionem Pontificum ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, vel monasterium regimini: sic in suprad. extrauag. ad regimen. §. rursus, & tradit Gonzalez num. 35. Barbosa alleg. 57. num. 66. Garcia de beneficiis. 11. p. cap. 6. numero. 36. Et licet beneficii ipso iure non vacent, quocunque episcopatus pacifice possiderat, ita referuatio sunt subiecta à tempore prouisionis Pontificis, ita vt renouari nullatenus possint: sic ex stylo curiæ testatur Flaminio lib. 3. de signat. quæst. 1. num. 77. Azor. 1. p. lib. 7. cap. 16. quæst. 12. Agolin. de officio. & potest. episc. cap. 1. §. 2. num. 5. Anstalt. German. de indultis Cardinali. §. si vero num. 11. August. Barbosa 3. p. de potest. episc. alleg. 57. num. 68. Supradicta referuatio intelligenda est de episcopatu vtili, & secus de prouisio in episcopatum ritularem, hæc enim prouisio non infert beneficiorum obitorem vacationem, nec referuacionem. Hanc supra num. 89. Anstalt. German. n. 26. Barbosa n. 74. Quod si alicui ex privilegio sedis Apostolicæ concedatur recentio beneficiorum simul cum episcopatu, poterit huiusmodi beneficia resignare, quia iam referuatio suspenditur, & beneficia tanquam de re propria disponit. At si moriatur, Episcopatus etiam in partibus post concessam hanc retentionem. Affirmat Simoneta tract. de referuati. benef. quæst. 27. num. 5. esse referuata, & consentit Barbosa alleg. 57. num. 76. quia illa referuatio videtur intelligenda de beneficiis quocunque tempore vacent. Militamen probabilis est non comprehendi sub hæc referuacione, quia tunc illa beneficia non vacant per promotionem episcopatus, cum potius episcopatus vacet, sed vacant per obitum episcopi. Ergo in referuacione per promotionem ad episcopatum comprehendi non possunt.

Sexto referuat beneficia vacantia, & vacatura per allocationem pacificam quorundamque prioratum, dignitatum, personatum, officiorum, canonicatum, præbendam, & aliorum beneficiorum auctoritate Apostolica prouisorum, seu prouidendorum: sic in suprad. extrauag. ad regimen. prope finem extr. necnon, & in extrauag. ex debito §. huiusmodi. de elect. inter communes. & notauit Gonzalez gloss. 51. num. 36. & 38. Barbosa dicta alleg. 57. num. 77. Sed est norandum secundum beneficium, per quod vacat primum, debere auctoritate Apostolica prouisum esse. Nam si per ordinatum conferatur primum beneficium vacans, non manet referuatum, vt benè aduertit Gonzalez supra. Solet tamen aliquibus prouisus à Sede Apostolica huiusmodi, vt intra duos menses post adeptam possessionem beneficij obtenti, aut si per ipsos non fuerit, quominus obtineantur